NONNULLA DE PRAECAVENDA HYDROPHOBIA A MORSU CANIS RABIDI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE I. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

CAROLUS FRID. STRUNZ,
RHINSBERGENSIS.

OPPONENTIBUS:
M. GEISLER, MED. ET CHIR. DD.,
L. NISLE, MED. ET CHIR. DD.
M. BOBERTAG, MED. ET CHIR. DD.,

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMO

J. BUETTNER,

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, MEDICORUM EXERCITUS BORUSS. PRAEFECTO SUPREMO, INSTITUTI FRIDERICI GUILELMI ET ACAD. MEDICO-CHIRURGICAE DIRECTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN TERTIA CLASSE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. WLADIMIRI, NEC NON ST. ANNAE, ORDINIS REGII SUECICI VASANI ORDINISQUE BELGICI LEONICI EQUITI AURATO ETC. ETC.,

FAUTORI

SUMME VENERANDO,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Materiam ex rerum medicarum ubertate tractandam eligens, per longum tempus haesitavi, quam ad conscribendam dissertationem desumerem. Multis omissis aut difficilioribus aut saepissime jamjam elaboratis iisque optime, morborum tandem observatio me ad finem usque perduxit. — Jam vero dubiae mihi se inculcarunt animadversiones: conaris, ita cogitavi, de re scribere, cui peritissimi medici ac celeberrimi omnium temporum maxima cum attentione se dedidere, et in qua omnem fere aetatem consumserunt. — Quae magna excellentium omnia capientium scriptorum copia optime testantur; attamen ab altera parte rursus mihi in mentem

venit, plurimas alias res in medicina haud minus esse tractatas, meque, ita cogitantem, quod expeterem, nunquam consequi posse.

Mihi igitur unum annum in nosocomio caritatis chirurgi ordinis inferioris munere fungenti, oblata fuit occasio, inter alios nonnullos observandi homines, qui a canibus rabidis admorsi erant, quorumque curatio quoad hydrophobiam prophylactica, localis praecipue, prosperrimum habuit eventum. Qua re omnis mihi commota est intentio, ita ut non omnino sine fructu fore putaverim, si in dissertatione hosce casus colligerem.

Priusquam vero opusculum meum incipio, Te, L. B., rogo, ut indulgenti animo et accipias et, quod scriptum est, a tirone scriptum esse perpendas.

Quamvis multa sint, quae sanitatem hominis et vitam infestant, mala, terribilius atque atrocius vix ullum et ne vix quidem inveniri potest, quam morbus, qui ex morsu canis rabidi originem ducit, *hydrophobia.* In eo consentiunt omnes auctores et extra dubium id posuerunt.

Lues, arthritis, variolae, scarlatina et omnino morborum turba contagiosorum et epidemiarum temporibus quibusdam vigentium, quantum terroris saepe in symptomatibus offerant, quam lethalia saepissime in decursu se ostendant: collata cum iis, quae a bestiis rabiosis producuntur, phaenomenis, quidnam sunt? — Alii eorum morborum cautione sunt evitandi, aut jamjam erupti certis sanandi medicaminibus, aliis disciplina publica in devastante cursu modum imponit, et si multi quoque ob len-

tum decursum dolores satis parent et molestias, tamen praesto nobis sunt adhuc remedia, ut in casibus ipsis acerrimis auxilium ferre possimus. Illi autem morbi, quorum decursus rapidus sine effectu relinquit medicamina, aut ad mortem celerrime adducunt, aut hominem transferunt in statum aliquem torporis, quo sui vel omnino non conscius est, vel ex parte tantummodo dolores sentit.

At qui aliter nobis apparet morbus, de quo hic verba facimus! Quo in morbo ne prudentia quidem ab infectione tuetur, et quisque, cui timendum est, ne illud secum ferat horribile virus, non solum per dies, hebdomades, menses, sed etiam per annos in dubio est, utrum eo infectus sit, nec ne, ac an sub tormentis gravissimis pluribus jam ante diebus mortem videat appropinquantem. Quid mirum, si medici, quum primo experti essent, miasma rabiosum animale phaenomena similia et eundem in homine gignere morbum, — prioris nempe temporis medici ante *Celsum* hunc morbum in homine non commemorant — omnem meditationem ad vincendum tuta methodo hoc malum intenderint. Licet tamen operam et studium quam maxime ad hanc rem conferrent, nondum iis, quod sane dolendum, successit, ut neque veneni naturam nec certam medendi rationem contra hydrophobiam saltem eruptam investigarent. Quorum testes optimi sunt, ut opinor, sententiae de morbi natura innumerabiles atque illas numero superantia adhuc

remedia, ex omnibus fere materiae medicae classibus exhausta. Quamquam inter omnes igitur constat, hydrophobiam jam eruptam nullo sanari posse medicamine, aut talem sanationem, etiamsi nuntiata sit, semper in dubium esse vocandam, ita ut ei soli non satis credi possit: ex altera tamen parte omnes, experientia nixi, in eo conveniunt, ut curatione vulneris locali, apte instituta, eruptio hydrophobiae sit avertenda. Quam sententiam quoque morbi historiae, quae sequuntur, non refutare videntur.

Jam mihi liceat, ut nonnullas curationis et localis et universalis, una cum illa locali instituendae, ad praecavendam hydrophobiam, quoad locus coërcitus et tempus permittant, methodos exponam.

Medela localis spectat remotionem totalem et exstinctionem veneni vulneri inhaerentis, quod solum omnino removenda aut delenda totius vulneris superficie effici potest. Est itaque:

1) *Excisio* vulneris per morsum illati *totalis* ad quamque dimensionem cum profundam tum latam optimum hydrophobiae prophylacticum. Plurimas de hac methodo observationes fecit *White* [1]), praeterea ejus efficaciam multi medici testantur, ut: *Tissot, Nicolai, Bouteille, Metzler, Bell, Loftie, Dupau, John Hunter, Jesse Foot, Callisen, Fothergill* aliique, sicuti Illustr. *Rust* etiam atque etiam illam commendavit [2]).

---

[1]) *White* in Memoires of the medical Society of London. Tom. III. p. 422.

[2]) Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. Bd. I. Heft I. S. 127.

Indicatur, ubi vulnus recens sit, si locus, cui vulnus insideat, permittat, siquidem sine periculo magni momenti partium laedendarum scalpellus satis profunde intrare possit, nisi multa adsint vulnera aut unum longissime extendatur. Quibus in casibus, si curationem localem respicis, e vulnere, incisione ultra morsus vestigia facta, omnem sanguinem emittere, tunc alieno corpore imponendo, v. c. linteo carpto, magnam in eo evocare inflammationem et dein, partim calore humido, partim unguentis excitantibus adhibendis etc., prout vulneris status irritabilitatis prae se fert, ad cicatrisationem usque largam alere suppurationem sufficit.

Pluribus autem diebus post laesionem factam jamjam praeterlapsis, aut vulnere imo jam cicatrice obducto: excisio sola per se minime hominem tutum relinquit; hic cum longior mora veneni in vulnere, tum id, quod vestigia dentis, qui magis superficiem aut profundum penetravit, saepe exstincta sunt, curationem graviorem expostulant.

Et in his et in illis casibus, ubi sine periculo graviorum partium laedendarum cultro chirurgico haud satis profunde intrare potes,

2. *Kali causticum* una cum illa methodo feliciter adhibetur, et Illustr. *Rust* liquidam quidem ejus formam unicuique alteri anteponit, cum sic facilius absorberi et profundum petere possit.

Ceterum autem hoc cauterium omnibus aliis remediis excitantibus et cauteriis esset praeferendum, cum experientia doceat, venena animalia et

variolarum et syphiliticum et viperarum neque minus anguium, quare etiam canis rabidi eo decomponi et inefficacia reddi (grana triginta lapidis caustici chirurg. in libra una aquae destillat. soluta auctore *Rust* optima est forma). Omni sanguine ex vulnere emisso, hac solutione id eluitur et linteum carptum ei inunctum imponitur. Quod ter quaterve per diem repetitum, tertio circiter die, si sensibilitas liceat et vulneris sedes, solutionem ejus saturatissimam (e. c. Kali caustic. ʒß — ʒj in aquae destillat. ℥jv solut.) adhibere, sphacelum procreare superficialem, ejusque dejectionem adjuvanti naturae tradere potes. Quae methodus tunc adhuc sufficit ad eruptionem hydrophobiae evitandam, etiamsi plures per hebdomades vulnus neglectum, quin etiam cicatrisatio esset adducta; experientia enim observationibusque comprobatum videtur, venenum fere ad hydrophobiam erumpentem usque in vulnere retineri.

Non semper tamen huic indicationi curationis localis satisfacere, et saepe scalpello uti non potes, nisi destructionem afferre velis et periculum. Quo in casu a *Mederer* commendata methodus, scarificatio nempe, dilatatio vulneris et usus solutionis Kalinae aptum habet locum.

3. *Ferrum candens* jam a veteribus hoc in morbo adhibitum est, et sic *Celsus*: [1]) „*Utique autem, si rabiosus canis fuit, cucurbitula virus ejus extrahendum*

---

[1]) *Celsus* de medicina lib. V. cap. 27.

est. Deinde, si locus neque nervosus, neque musculosus est, vulnus id adurendum est. Si uri non potest, sanguinem homini mitti non alienum est. Tum usto quidem vulneri superimponenda, quae caeteris ustis sunt. Ei vero, quod expertum ignem non est, ea medicamenta, quae vehementer exedunt."

Quamvis autem sint, qui bonum ejus effectum defendant solumque id adhibeant, ab altera tamen parte multa quoque contradici possent: etiamsi aegrotus ferri timorem superaverit, destinare saepe non possumus, an ferrum sat profunde invaserit, ad quamque vulneri inhaerentem delendam veneni particulam, quae igitur subter escharam formatam retenta seriore resorptione adhuc periculum afferre potest. Tunc quoque illa eschara ipsa impedit, quominus ulcus apertum quam primum adducatur et salutaris evocetur suppuratio. Quae enim secundum omnium experientiam haud satis celeriter elici potest, ne amplius agendi occasio veneno offeratur; cujus rei etiam, si hoc modo curatur, auctores sunt. — Nec minus incerta vulnus pulvere sclopetario exurendi et moxam adhibendi methodus esse videtur, quia nos semper incertos relinquit, an in infimum vulnus egerimus nec ne.

Pariter lapidem infernalem, butyrum antimonii, acidum muriaticum et sulphuricum concentratum, quin imo olea fervida et arsenicum ipsum [1]) in unguento adhibuerunt.

---

[1]) Sindestolpe de venenis. Francof. 1739. p. 896.

Post omnes has curationes diversas cauta vulneris curatio semper tamen spectat eandem, ad cavendum, ne vulnus nimis celeriter concludatur. Escharae formatae remotio remediis emollientibus et excitantibus quam primum adjuvetur necesse est. Quod respicientes multi nuper fonticulum laudarunt [1]; alii autem suppurationem cantharidibus, quas unguentis admiscent, sustinere volunt. *Schmukker*, vulnere scarificato, pulverem cantharidum intrivit et supra id vesicatorium applicavit [2]; quo modo omnes suos tuitus est aegrotos. Alii suppurationem, sicuti in plurimis etiam hujusmodi aegrotis nosodochii factum est, pulvere cantharidum et hydrargyri oxydati rubri inspergendo sustinent. Omnes autem chirurgi in eo non dissentiunt, vulnus per longum tempus, quadraginta minime dies, suppurare oportere.

Praeter curationem ejusmodi localem, quae sola homines ab hydrophobia tueri potest, et sine qua omnino nulla alia curatio universalis esset instituenda, innumerabilem adhuc medicamentorum copiam ad usum internum commendarunt et re vera adhibuerunt, ex quibus interea nonnulla tantum probatissima ac usitatissima relaturus sum:

1) *Hydrargyrum* vergente saeculo XVII jam a

---

1) *Aupli* in *Gazette* de santé. 2. Bd. S. 497.
Richter, Chirurgie. Bd. I.

2) Schmucker, chirurgische Wahrnehmungen. Bd. II. desgl. vermischte chirurg. Schriften. Bd. III.

Taury et *Ravelly* prophylacticum adversus rabiem caninam commendatum est, ejusque inunctionibus a *Desault* laudatis, multi medici inprimis Franco-Gallici magnopere non solum commendarunt, verum etiam optimo cum successu adhibuerunt.

Quamquam demonstrari nequit, metamorphosi illi miasmaticae specifice re vera oppositum esse mercurium, nemo quidem dubitet, quin remedium, quod tam specifico modo in systema lymphaticum agit, quod in omnibus organorum respirationis affectionibus inflammatoriis non sine fructu adhibetur, quodque tandem systema nervosum plane immutare potest, hoc etiam in morbo, praecipue sub frictionum forma adhibitum, magno cum successu porrigi possit.

2) *Ammonium causticum Le Roux* praesertim in usum vocavit felicem et ut remedium, quod cutis renumque secretionem tantopere promovet, et in aliis casibus spasticis, si formam saltem respicis, hydrophobiae non dissimilibus, utilitates affert maximas, magni certe aestimandum est. Multi sunt, qui bonam ejus celebrent efficaciam.

3) *Cantharides* et prophylacticum et remedium ipsum hujus morbi radicale maximam consecutae sunt celebritatem, quam usus earum valde diffusus et antiquus affirmare videtur. Quas Arabes jam remedium adversus morsum canis rabidi habuerunt. In Hungaria semper adhiberi solent. In tota Polonia auctore *de Hildenbrand* agricolae post morsum canis rabiosi est consuetudo in usum vocare

cantharides, quae in hunc finem jam diligenter conservantur. Infanti lytta una pro dosi porrigitur vesicatoria, adulto autem duae vel tres sive cum sive absque frumenti spiritu. In tota quoque Graecia cantharides ut specificum adversus rabiem caninam adhiberi feruntur. Quamquam autem nondum contigit huic medicamento, ut rabiem revera eruptam et excultam removeret, plures tamen exstant casus, quibus morbus jam incipiens in eruptione quasi oppressus est. Inter alios *Rust*, Illustr. ille [1]), hocce medicamine se conservasse enarrat mulierem aegrotam, quae omnibus aliis exceptis rabiei incipientis symptomatibus, jam hydrophobiam quoque ostendit, et ne guttam quidem aquae potuit deglutire. — Quantam autem hujus remedii dosin tales aegroti saepe ferant sine molestiis, credi vix potest. *Werlhof* jam morbo affectis tres per dies quotidie cantharidum grana tria sine ullo damno porrexit. Aegrota illa ab Illustr. *Rust* curata inter horas triginta sex cantharidum pulveris granis novem uteretur necesse erat, ut irritatio systematis uropoëtici mox praeteriens evocaretur; paulo post haec aegrota intra dies sedecim grana accepit etiam triginta septem, antequam stranguria facta est, et tum intra dies viginti duos cantharidum quadraginta duo adhuc grana sine ulla reactione consumta sunt.

---

[1]) Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. Bd. I. Seite 144.

Praeter haec medicamina experientia probata referenda sunt quasi ancipitia prophylactica: venaesectio, sanguinis potus, balneum et demersio in aquam (cf. *Celsus*), emetica, laxantia, remedia sedativa, antispasmodica: moschus, camphora, sicuti tonica et roborantia; china, ferrum, nec minus cuprum sulphurico-ammoniatum et flores zinci. — Hydrophobiae avertendae inservit etiam memoratu dignissima recentiori inprimis tempore a *Marochetti* edita observatio vesicularum sub lingua, quae maxima ex parte die tertio, quinto, septimo, nono ad vicesimum primum usque et tricesimum quartum post morsum circa ductus Whartonianos in conspectum venire dicuntur. Quae, si acu candente exurantur, atque simul decoctum genistae luteae ad gargarisma et usum internum adhibeatur, hydrophobiam praecavere traduntur. — Quod nunc caput relinquens, ad conscribendas nonnullas aegrotorum historias me verto, quos in caritatis nosocomio observavi.

MORBI HISTORIAE.

I.

J. Schmidt, operarius mercenarius, octo et viginti annos natus, die vicesimo secundo mensis Decembris a. 1825 a scriba quodam Th.... canem, quem aegrotum putarunt, ad scholam veterinariam, ut curaretur, portare jussus est. In via a cane perturbato, quem manibus gestabat, sinistra admorsa, tunc eo ipso die in nosocomium receptus est operarius; canis autem instituto veterinario observandi causa traditus est.

Homo fuit constitutione robusta, sanum praebuit habitum, malis gravioribus hucusque non laboraverat, et praesens quoque valetudo universalis apparuit non affecta. Vulnus per morsum illatum in dorso fuit phalangis secundae pollicis manus sinistrae, superficiale tantummodo, cute quidem fissa, attamen late satis extensum. Vulnus post hominis adventum in nosocomium liquore ammonii caustici statim elutum et postridie, respectu methodi excitantis localis, pulvere cantharidum est deligatum, eodem autem tempore interne hae praescriptae sunt pilulae:

Rec. Calomel.
Extracti Belladonnae
Pulv. herb. Bellad. āā ʒjj

M. f. l. a. pilul. ponder. gr. j. Consp. etc.

Duas per diem assumere incepit, et sensim sensimque plures deglutire jussus est; quod autem tam celeriter fecit, ut die 28. m. c. pilulas jam X consumsisset; quo factum est, ut narcosis exoriretur, porrigendo autem infuso coffeae mox superata. Die 26. m. c. ab instituto veterinario de morte canis, qui jam antea rabie affectus denuntiatus erat, indicium factum est, et susceptam cadaveris sectionem omnino probare, canem rabie laborasse, confirmatum est. Eo magis, pensitando periculo, quod viro imminebat, animus ad curationem vulneris localem conversus est, vulnus igitur, in quo ipso ejusque circuitu permagna jam excitata erat inflammatio, quotidie pulvere cantharidum mixto cum hydrargyro oxydato rubro deligatum est, pilulis paulo ante dictis continuatis. Vesiculae autem sub lingua juxta ejus frenulum, quippe quas *Marochetti* observavit, non in conspectum venerunt, quamquam quotidie diligenter os perscrutabamur.

Sic vulnus, in quo nunc suppuratio elicita erat copiosa, usque ad diem 27. mens. Januarii magnis quidem doloribus aegroti curatum est. Inter hoc temporis spatium *Schmidt* omnino bene se habuit, neque edidit symptoma, quod metum excitare potuisset.

Die supra dicto, ipso flagitante, e nosodochio sanatus dimissus et medico urbis, qui aliquantum temporis eum observaret atque penitus curaret, traditus est. Vulnus nunc conclusum est, et vir hucusque optima fruitur valetudine.

II.

Aug. Helm, ſabri discipulus, duodeviginti annos natus, constitutione robusta, hilarique temperamento praeditus, optima semper valetudine gavisus, a cane domestico de rabie suspecto, non incitato, in pedem sinistrum morsus fuit. Primo tempore laesionem neglexit, quinque tamen diebus praeterlapsis, inter quos plures adhuc canes ab illo admorsi erant, de rabie canis exquisita certior factus, ad institutum clinicum, quod duce Illustr. *Graeſe* floret, statim se contulit, ubi vulnus adustum est. Quo facto in nosocomium caritatis, ut porro observaretur et curaretur, receptus est. — Vulnus, eschara crassa obductum et inflammatione erysipelatosa circumdatum, supra pedis sinistri malleolum externum versabatur; valetudo autem universalis omnino non morbose erat affecta.

Ad escharam quam primum emolliendam et inflammationem leniendam, cataplasmata emollientia statim vulneri superimposita sunt. Eschara quum nonnullis interjectis diebus suppuratione facta dejecta esset, pulvis cantharidum et hydrargyri oxydati rubri ana, ut hic fieri solebat, in usum vocatus est, eoque vulnere quotidie deligando, dies circiter triginta id perpetue suppurans retentum est. Praeterea interne hisce usus est pilulis:

Rec. Pulv. cantharid. gr. v
Calomel. ℈j
Mucilag. Gumm. mimos. q. s.

ut fiat massa, ex qua forment. pil. No. XX. S. matutino et vespertino tempore una sumenda.

Quae autem die octavo mensis Maji sic mutatae sunt:

Rec. Pulv. cantharid. gr. vjj
Calomel. ℈j
Opii puri gr. v
Mucil. Gumm. mimos. ℈ß
M. f. pil. gr. jj No. XX. S. ut supra.

Inter hoc temporis spatium aegrotus prorsus bene se habuit, neque tunc ullum vestigium valetudinis adversae ostendit, cum die 27. Maji, quo nosocomium reliquit, vulnus fere conclusum esset. In eo quoque vesiculas infra linguam non animadvertimus. Canis autem in instituto veterinario jam antea rabie perierat.

III.

J. Ch. Schmidt, fenestrarius, a cane in suram sinistram morsus, tum foris adustus, diebus quatuordecim praeterlapsis in nosocomium receptus erat. Eschara cataplasmatibus emollientibus depulsa, vulnus per dies 40 inspergendo cantharidum et mercurii oxydati rubri pulvere semper suppurans sustentum est. Morbo recreatus abiit.

IV.

J. F. Eichler, servo domestico, a cane robusto, qui jam antea duas puellas duosque canes, non incitatus, momorderat, invaso femur sinistrum erat morsum. Descriptio, quam de toto ejus habitu protulit, cani rabioso omnino convenit. Vulnus statim ferro candente aduri sivit, et postridie nosocomium adiit. Dies per triginta tres illis pilulis

supra dictis interne, et quoad vulnus mixtione illa cantharidum et hydrargyri oxydati rubri curatus, perbene se habens, profectus est.

V.

Serva, *E. Luckow*, a cane de rabie valde suspecto, qui jam antea plures invaserat homines, natibus admorsa, moxis duabus, quae in loco morso applicatae, dejectaque eschara, in fonticulos sunt commutatae, et interne per tempus legitimum curata est hocce pulvere:

Rec. Calomel. gr. jjß
Sacchar. alb. ℈j.

M. f. pulv. disp. tal. dos. X. S. matutino et vespertino tempore pulvis unus sumendus.

Variolis tum temporis grassantibus deinde occubuit puella, quumque has etiam feliciter superasset, e nosocomio sanata dimissa est. Et hunc canem rabie exquisita laborasse eaque mortuum esse schola veterinaria testatur.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Carolus ego Fridericus Strunz die XVIII mensis Novembris MDCCCIII Rhinsbergae, oppido Marchiae, patre dilectissimo, Carol. Frideric., Regio pedissequo, et matre optima e gente Huthiana, natus sum. Primis literarum elementis instructus, Gymnasium Joachimicum, quod Berolini tunc Directore Snethlage florebat, frequentavi, iisque quatuor per annos incubui literis, quae studiis academicis viam muniunt. Anno MDCCCXXI mens. Octobr. numero alumnorum seminarii Friderici Guilelmi medico-chirurgici adscriptus, per quadriennium medicinae ac chirurgiae studio operam navavi. Quo temporis spatio hisce interfui praelectionibus: hodegeticen, logicen et psychologiam Cel. Wolff; historiam naturalem et botanicen Illustr. Link; encyclopaediam medicam, anatomiam universam nec non organorum sensuum, entozoologiam et physiologiam Illustr. Rudolphi mihi tradidere. In osteologia, syndesmologia, splanchnologia, in arte formulas medicas concinnandi et anthropologia forensi Illustr. Knape, in arte cadavera rite dissecandi Illustr. Rudolphi et Knape praeceptoribus gavisus sum. In physice, chemia et phar-

macia Cel. TURTE et Illustr. HERMBSTAEDT, in physiologia tam generali quam speciali Cel. ECK me instituerunt. Frequentavi praelectiones Cel. OSANN de materia medica et generali et speciali, Illustr. HORN de pathologia speciali, de morbis mentis et syphiliticis, Cel. FR. HUFELAND de pathologia generali, semiotice et therapia universali ac speciali. Celsi de medicina libros Cel. HECKER mihi exposuit. De therapia speciali, semiotice Perillustr. C. W. HUFELAND, chirurgia generali, fascias applicandi arte, de ossibus fractis et luxatis cognoscendis curandisque, et arte obstetricia Cel. KLUGE, de ophthalmiatrice Illustr. GRAEFE, de chirurgia generali atque speciali morbisque syphiliticis Illustr. RUST scholis interfui. Akiurgiam Illustr. GRAEFE, RUST et KLUGE me docuere.

Clinicis tandem adfui exercitationibus medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Illustr. virorum C. W. HUFELAND, GRAEFE, RUST, NEUMANN et KLUGE.

Hisce studiis peractis in nosocomio caritatis Berolinensi per annum medico-chirurgi inferioris munere functus sum. Jam vero tentamine et examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. Quibus factis, ut medici militaris officiis, quae mihi sunt tradita, satisfaciam, Postampium proficiscar.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sola vulneris curatione locali hydrophobiam esse avertendam credo.

II.

Mania quaecunque primo semper expostulat methodum antiphlogisticam.

III.

Tartarus stibiatus est remedium universale.

IV.

Homo solus organo tactus praeditus est, et papillis quidem nerveis digitorum.

V.

A nervo linguali paris quinti, non ab hypoglosso, gustus dependet.